

67

I. N. 3.

2

DISSERTATIO

HISTORICO-POLITICA

De

SOLDURIIS,

Quam

Ex occasione verborum, quæ C. J. Cæsar in
lib. 3. cap. 7. Comment. belli Gall.
adfert,

*Cum consensu & approbatione Ampl. Facult.
Phil. in celeb. Acad. Aboënsi*

SUB PRÆSIDIO

Nobilissimi & Consultissimi VIRI,

DOMINI SAMUELIS

GRÆNENSTORPE

De Rerihenim/ Hæred. Polit. & Hist. Prof.
Ord. pariter ac anno præfenti Colleg. Phi-
losoph. DECANI spectabilis:

Pro usitato in Philosophia titulo, Erudito-
rum examini modeste sistit


ANDREAS WANOCHIUS,

*In Auditorio maximo, Anno rep. sal. 1678
d. 1. Junii, horis ante meridiem
solitis.*

Aboæ, Excusa à JOHANNÈ Winter.



Alkuper. Upravleniye
Yliopiston kirjasto.



S:æ R:æ M:tie

REGNIQUE SVECIAE
SENATORI,
REGII DICASTERII HOLMENSIS,
ET
GENERAL. COMMERC. COLLEGII
PRÆSIDI.
JUDICIQUE PROVINCIALI NERICIAE,
ILLUSTRISSIMO & EXCEL-
LENTISSIMO DOMINO,

DN. CANUTO Kurf

Lib. Baroni de Lempåld/ Domino de He
densö/ Morsholm/ Sidsholm/ Åleshoff/
Åhresta/ &c. &c.

DOMINO & PATRONO
MEO BENIGNISSIMO

Immortalem gloriam!

De Soldurcis.

Sic R:ae M:is

FIDELISSIMO VIRO,
DYNASTÆ PROVINCIARUM
SCHAREBURGENSIUM,
PERILLUSTRI DOMINO,

DN. GABRIELI Burck

Lib. Baroni de Lempälä/ Domino de
Laucko/ Fortjärvil &c. &c.

DOMINO MEO PROPEN-
SISIMO

Felicitatem perennem!

prop. Sam. Gyldenstålne

pr. Cr.

and. Manochius

1678.

ILLUSTRISSIMI ATQVE
EXCELLENTISSIMI DOMINI,

Ita fert studiorum & ætatis meæ ratio,
ut specimine aliquo vires ingenii non
tantum experiar ipse, sed & aliis, qui
rerum mearum commendatione tan-
guntur, eam ostensum. Quod autem hoc de
Solduriis argumentum suscepi, factum est in-
primis memoria beneficiorum, quibus Illu-
strissima Vestra Excellentia quinquennii spa-
tio me subinde ornavit, ornatum vero sic de-
vinxit, ut fortunam pene incusaverim, quasi
omni prorsus officio apud Illustrissimam Ve-
stram

stram Excellentiam deponēdo me excluderet, quæ sero admisit. Totum vero illud tempus magno est mihi documento, Illustrissimam Excellentiam Vestram pietate ac observantia erga Deum & Regem summa, amore in Rempublicam & Cives, propensione in tenuiores, & magno illo erga literas favore, nihil habere antiquius. Sed hæc publico omnium civium præconio jam dudum vulgantur, quocirca privata laudatione minus indigent, nisi quod religio est id præterire, quod toties reverentiam incutit conscientia, quoties animo repetere contingit. Hic tantum submisse veneror Magnam illam gratiam quæ mihi pro ancili erat & clypeo in superandis illis difficultatibus, quas in cursu studiorum tenuitas mea hæcenus offendit. Unde verum & immotum esse arbitror, quod nunquam major spes quam in bonorum Principum sponfione, ut vir quidam sententiosus non temere persequitur.

Magna est etiam illa, Dynastes Excellentissime, gratia, quâ me jam aliquoties sublevatum iuvisti: non multum sollicitus, quod aditum ad Illustrem Vestram Excellentiam fortuna mihi hucusq; præcluserit, præter unicum ejus hac in parte beneficium, quo scilicet Illustris Excellentia Vestra Filio satis excelsæ indolis,

dolis, a studiis esse concessit. Prolixe quidem de Illustris Excellentia Vestra virtute universim omni, praefari festinarem, nisi vel grave foret laudare praesentem, vel pondere laudis in hac dictionis angustia opprimerer.

Et siquidem Illustrissimis Excellentis Vestris tantopere sum devinctus, non videbatur absimile hanc de Solduriis materiam ingenii scrutinio submittere, submissamque ad Illustrissimarum Excellentiarum Vestrarum limen humiliter deponere, quo non saltē devotionis foret tessera, sed etiam NOMINUM VESTRUM, in inscriptione se Lectori commendaret impensius. Cetera spem mihi facio indubiā, tam levissime hoc officium, quam studia alioguin omnia per Illustrissimarum Excellentiarum Vestrarum favorem benigne promotum iri. Jam, ut decet, Illustrissimis Excellentis Vestris, longa & illustria vitae spatia, cum patria universa, praecipue vero natione hac nostra, quae de Tantis Patronis sibi magis magisque placere incipit, devote precor, qui & ex tenore debiti mei sum.

Illustrissimarum Excellent. Vestrarum

Clicns devotissimus
ANDREAS WANOCHIUS.



P R Æ F A T I O.



Omines quidem omnes ut pari sorte lucem subeunt, nisi natalium splendorem aut con-

similem huic prærogativam forte quis obtendat, ita quoque ad mutuam societatem studiose inclinant; unde Cicero prolixè de hac propensione disse-

rit. (α) Testatur idem, (β) *Nos ita natos videri ut quaedam intercederet societas: quod repetit vicissim (γ) his verbis: Hoc solum animal homo natum est pudoris ac verecundiæ particeps, appetens conjunctionem hominum & societatem.* Hinc etiam est illud scripturæ:

(δ) Ὁ Θεὸς ἐποίησε ἐξ ἑνὸς αἵματός τῶν ἄνθρωπων καλοικεῖν ἵπτι πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς. Ὁρίσας πρὸς τεταγμένους καιρὸς, καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν. Verum ne hanc societatem vel inopia rei familiaris vel parhuic incommodum aliquando dissolveret, indidit natura parens benefaciendi voluntatem, qua velut nexu quodam arctissimo, maneret integra. Ita sentit Imperator Philosophus (ε) qui citante G. Grotio (ζ) dicit:

ἄνθρωποι εὐεργατικὸς πεφυκε. Oratorum

A

maxi-

(α) *l. i. de Off.* (β) *in Lelio.* (γ) *4. de finibus.* (δ) *Act. XVII. 26.* (ε) *Marc. Anton, lib. 9.* (ζ) *l. de princ. jur. nat. c. 8, §. 3.*

maximus (η) homines hominum causa ait
 generatos, ut ipsi inter se alius alii prodesse pos-
 sent. Ratio vero est, quia cognationem quan-
 dam inter nos natura constituit, quam ser-
 vare interest cuiusvis, maxime vero civis huma-
 ni. Num quo alio tuti sumus, quam quod mu-
 tuis iuvamur officiis? hoc uno instructior vita,
 contraq; incursiones subitas munitior est, bene-
 ficiorum commercio. (θ) Hac etiam fit, ut,
 qui aliqua fortunæ iniquitate premuntur, sub-
 inde confugiant ad præstantiores eorumq; si-
 bi designent auxilium, quorum facillime se im-
 petrare posse confidunt vel omnino sperant.
 Ita Naso ad Cæsarem Augustum vota sua ve-
 lut ad Maximum Deum intendit exul: (ι)
Alloquor en absens, absentia numina supp^{lex}.
Si fas est homini, cum Jove posse loqui.

Ea maxime ratione Mecænati Tusco equi-
 ti clarissimo & apud Augustum potentissimo,
 ceu unico studiorum patrono, precibus & en-
 comiis litaverunt sui. Sin autem ex altera par-
 te nulla habetur beneficiorum ratio, benevo-
 lentiam expirare arbitramur, quam alioqui
 mutua tradentis & accipientis cura sustentare
 posset. *Quidnam igitur beneficio provocati
 facere debemus? annon imitari agros fertiles,
 qui multo plus afferunt quam acceperunt. Et
 enim si in eos, quos speramus nobis profuturos,
 non dubitamus officia conferre: quales in eos*
esse

(η) Cic. de Offic. (θ) Senec. 4. de benef. (ι)
 Trist. lib. 5, eleg. 3.

esse debemus, qui jam profuerunt? Verba sunt Ciceronis, (x) quibus abunde demonstrat nullum esse officium referenda gratia magis necessarium. Si vero per inopiam non licuerit aliquando pari mensura referre, qua quis acceperit gratiam, varii fuerunt omnibus temporibus modi, quibus gratitudo beneficis declarari consuevit antiquitus. Mæcenatem post cineres major gloria excepit cantu Horatii (λ) & quorum intererat. Alexandrum militis sui fides de præsentis discrimine eripuit; idque beneficiorum efficiente conscientia. Philocrates mortuo Graccho superstes esse noluit, quin gladium cruore Domini madidum, per sua egerit præcordia, quo beneficiorum ejus redderet testimonium, etiam si inutile. Devoti quoque Gallorum tantam servarunt fidem & beneficiorum memoriam dominis, ut mortem antetulerint oblivioni meritorum. Prolixum foret hic recensere plures referendæ gratiæ modos, quibus abundant historiæ; unicus tamen dignus mihi visus est Solduriorum mos, in quo studiorum aliquod specimen depositurus vires ingenii periclitarer. Nec enim quemquam ex professo hoc argumentum deduxisse comperi, præter nonnullos commentatores, quibus in hujus rei mentionem parte tenuis incidisse contigerat. Constitui itaque in eum quem hæc pagellæ exhibent ordinem, ea digerere, quæ potissimum

de Solduriis dicenda forent: idque dum pauca de notatione, deinde conditione illorum proferam: ultimo vero adponam de illis iudicium. In toto autem hoc officio, ea usus sum libertate, quam in huiusmodi literarum genere ab eruditis usurpari arbitror. Cæterum fateor me monumentorum inopia hoc in proposito distentum: quocirca defectus, errata & quæcunque tandem reprehensione digna videntur, Lector eruditus aut mihi condonet, aut aliis perficienda plenius omittat. Sit itaque Deo Duce,

CAPUT I.

§. I.



Olduriorum notio Gallis & veteribus Germanis communis erat, modo Commentatori in gesta Cæsaris fides habenda: (a) non tamen temere

infutendum erit, scriptores circa hanc vocem variare quoad literam, sensu licet conveniant. Cæsar enim, ^{cum} potissimum tum propter eruditionem, tum cæteram in describendis rebus prudentiam, crediderim, appellat *Soldurios*, (β) Radevicus *Solidarios*, (γ) Athenæus vero, si modo quæ circumfertur editio, mendo vacat, *Silodunos* hos nominat: (δ) verba e-
jus

(a) *Franc. Hotoman. in notis l. 3. comm. bell.*

Gall. (β) *Comment. bell. Gall. l. 3.* (γ) *lib. 3.*

c. 20. (δ) *lib. 4.*

jus adpronam: Νικέλα & ὁ Δαμασκηνὸς Ἔσ.
 Φησὶν, ἈΔείπομον τὸ τὸ Σωπιανῶν βασιλείᾳ,
 (Ἔθν & ἡ τῆτο κελπεν) ἔξακοσίους ἔχεν λο-
 γάδας περὶ αὐτὸν, ἕς καλεῖσθαι ὑπὸ γαλατῶν
 τῆ παλαιοῦ γλώττῃ σιλοδένους. τῆτο ἡ ἕσιν ἑλλη-
 νιστὶ δίχωλιμαῖοι. Hæc ille. Quidquid au-
 tem id rei sit, facile aut temporum differen-
 tiis, aut sane idiotismo scriptorum imputabi-
 tur, hoc literarum discrimen subinde admit-
 tentibus.

II. Dictos autem Soldurios existimare po-
 test quivis a Germanico Soldi quod stipendi-
 um & pecuniam significat militarem, qua e-
 rant conducibiles. In hunc sensum Radevicus
 dixit: (ε) ut largitione pecunie milites, qui
 Solidarij vocantur, colligeret. Lingua enim
 Gallorū multis de causis creditur ea fuisse, dis-
 ferit Glareanus, qua hodie Rhenus utitur, ma-
 ximeq; Helvetij & Sequani Rhenani. Primum
 enim constat C. Casarem bello Gallico per inter-
 pretem locutum cum Gallis. Deinde eam qui-
 dem linguam, qua hodie Francia utitur, Ro-
 manam esse, quanquam corruptam, nemini est
 dubium: quippe adhuc de prisca lingua Galli-
 ca innumeras retinentem dictiones. Non igitur
 Francica lingua olim Galli locuti sunt, sed
 alia. Verissimum autem est ea locutos
 linguam, qua hodie Galli utuntur, qui Francice
 non loquuntur: ut omnes populi citra Rhenum,
 proximi tamen Rheno, Helvetij, Rauraci, Se-
 quani, Elsatici, & fere tota Belgica. Non mi-

rum igitur quod scriptum reliquerit Divus Hieronymus, (2) Galatas, qui a Celtis descendunt, ut author est Livius, (η) eadem locutos suo tempore lingua, qua Treviri utebantur. Quis autem nescit Trevirorum linguam antiquam esse. nec multo a Germanorum lingua diversam? Etsi concedi oportet quod Strabo ait (θ) Germaniæ vocabulum Romanorum esse: quam aliam causam fuisse credimus Romanis, quod eos Germanos appellarint, quam quod vel lingua & moribus magnam cum Gallis haberent communionem? Vel quod quidam non absurde argumentantur, ab ipsa inter ipsos appellatione: fratres enim sese in rebus bellicis vocarunt. Unde vero hanc ὀνομαστικὰν habuerint Romani, parum constat, neq; huius est negotii. Hæc & quæ talia, affert quidam super commentarios belli Gallici, tam propter eruditionem amplectendus, quam cætera vir in ditione germaniæ contermina oriundus. (ι) Nec dubium quin & nos ab hac voce hodiernum retineamus Soldat, quasi qui salario conducatur, ut probe observavit Brantius. Hodie etiam militum quoddam genus Germanis dicitur Soldner: Anglis vero quivis miles Soldior sive Soyrdior: Britannis Soydyr, prout adnotavit non nemo. (κ)

III. Appellat Soldurios Cæsar aliàs clientes (λ) Sci-

(2) Prefat. in Epist. ad Galatas. (η) lib. 8. 4. decad. (θ) lib. 7. (ι) Henric. Glarean. Helvet. in annot. (κ) Cluverius.

(λ) Scilicet quatenus cliens pro correlato habet patronum. Hinc Budæus (μ) Scribit moris fuisse apud antiquos ut patrocinales & socii pop. Romani, in clientelam sese darent proceribus Romanis, quos patronos sibi adoptabant. Imo maxima necessitudine fuisse invicem devinctos constat, ut Patronum in clientem & clientem in patronum dicere testimonium, nulla lex, nec magistratus cogere poterit. (ν) Dicere tamen non ausim, has voces æquivalenter venire, cum Solduriorum notio strictius aliquando usurpetur, eatenus quæ peculiarem quendam fidem & aliis inusitatam præsupponit, clientis vero laxius. Inde etiam est illud Terentii: (ξ) *Thais patri se commendavit in clientelam & fidem*: pariter ac hoc Ciceronis: (ο) *Scis quam diligam Siculos & quam illam πελαγείαν, clientelam honestam judicem. quin etiam, ut idem scribit (π) quos Vasallos vocare solent, clientes appellare possumus.* Hinc Gallicè: *Vassal de quelque Seigneur celuy qui s' est mis en la protection & defense d' un autre.* Veniunt etiam Soldurii frequenter nomine devotorum, præcipue Cæsari. (ρ) Non quidem quatenus adjective & in deteriorem partem usurpatur, ut illud Poëtæ: (σ)

A 4

Vivi-

(λ) *Comm. bell. Gall. l. 7. c. 8.* (μ) *in paudeclis.* (ν) *Plut. in Romul.* (ξ) *in Eunuch.* (ο) *ad Attic. lib. 15.* (π) *in divin. in Verr.* (ρ) *lib. 3. bell. Gall. comm.* (σ) *Ovid in Epist.*

Vivite devoto fœmina virg; thoro.

Sed quæ substantive in mitiori significato usu venit, & vi verbi compositi importat, vel sanctam promissionem, ut Agamemnon dicitur devovisse Dianæ quod in regno suo pulcherrimum natum esset, immolavitque Iphigeniam; (τ) Vel prævium votum morti se dendentibus, unde illud Poëtæ: (υ) *Quorum se devovet aris.* Videtur quidem mihi hoc συνώνυμον paulo plenius indigitare conditionem Solduriorum, quæ clientis notio, idque eate- nus quæ arctiorem quandam copulam inter Patronum & ejus correlatum insinuat. Græce possunt adæquate vocari *Ευχωλιμαῖοι* ex Athen. 85. ut probe satis observavit Henric. Steph. in Thesaur. lingvæ Græcæ.

CAP. II.

§. I.

HActenus de vocis notione, non paucis tamen omissis, quæ ad rei illustrationem conferrent; nunc proinde in tempus, à quo Solduriorum ætas præcise inceperat, inquirerem, si aut ex historicis id rei liceret dignoscere, aut omnino ad instituti rationem, quæ circa conditionem Solduriorum & super ea judicium imprimis est occupata, pertineret. Nihilominus tamen constat illos ante Julii Cæsaris tempora in Gallia passim extitisse. Quin & armiger Regis Israël Saulis circa annum M.

2935.

(τ) *Cic. lib. 3. de Offic.* (υ) *Virg. 12. Æneid.*

2935. (Φ) Vel ut quidam 2880 (χ) hunc morem apud Hebræos extitisse suo probat exemplo. (ψ) Et dicunt Hebræi, ut quidam in dictum locum commentator, (ω) Illum armigerum fuisse Döeg Idumæum. Döeg enim interpretantur motus, Idumæus terrenus. Et tales ita mobiles sunt, ut surgente Domino surgant, ridente Domino rideant, plorante Domino plorent, propter terrenam utilitatem. Huc etiam facit quod Josephus dicit (α) Darium ochum ex Hebræis tres adolescentes spectatæ fidei habuisse corporis custodes.

II. Conditionem autem Solduriorum Cæsar exprimere voluit, (β) dum de Adeantunno ejusque devotis sic edisserit: *Adeantun-
annus* (vel ut quibusdam placet *Adiatunus* aut deniq; *Adiatonus*, quem Athenæus *Adiatomum* appellavit; convenientius tamen videtur dici *Adiatonus*, testimonio etiam *Plutarchi*;) *qui summam imperii tenebat, eruptionem facere conatus est cum sexcentis devotis, quos illi Soldurios appellant: quorum hæc est conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum se amicitie dederint: Si quid iis per vim accidat, aut eundem casum una ferant, aut sibi mortem consciscant, neq; adhuc hominum memoria repertus est quisquam*

A 5

qui

(Φ) ex *Supput. D. Terferi* (χ) *Calvisius cum a seclis.* (ψ) *l. Reg. XXXI. 5.* (ω) *Hugo Cardin. de S. Choro.* (α) *lib. XI. 4. antiq.* [β] *lib. 3. comm. bell. Gall.*

*qui eo inter se illo, cujus se amicitie devovisset
 mori recusaret. Ad hunc locum respexit Ho-
 ratius, causamque ex eo sumfit, cur Galliam
 epitheto ornaret, non paventis funera. (γ)
 Hanc de Solduriis sententiam Athenæus,
 (δ) Ex Nicolao Damasceno (ε) probat: τῆ-
 ς sc. Σιλοδύνης, δ' οἱ βασιλεῖς ἔχουσι συζῶν-
 τας καὶ σωμαποθνήσκοντας, ταύτων ἐκείνων δι-
 χλῶ παιδιῶν, ἀνδ' ἧς σωμαθωασεύσσι τε αὐ-
 τῶ πλὴν αὐτῶ ἐδῆται καὶ ἀγαίταν ἔχοντες, ὅ
 σωμαποθνήσκουσι καὶ πᾶσαν ἀνάγκην, εἴ' ἐν
 νόσῳ τελευτήσῃ ὁ βασιλεὺς εἴτε πολέμῳ, εἴτε
 ἄλλως πῶς, καὶ ἑδὲς εἰπείν, ἔχῃ πινὰ διποδει-
 λιάσων τῶν τ' ἡνάτων, ὅταν ἦκη βασιλεῖ,
 ἢ διεκδιώται. Quin & ipse Caesar alibi (ζ)
 suam de Solduriis mentem it probatum, dum
 more Gallorum nefas esse ait illis etiam in ex-
 trema fortuna deserere patronos. Hujusmo-
 di morem apud nonnullos alios etiam popu-
 los deprehendere licet. Erat apud Ægyptios
 amicitiae genus quod σωμαποθνήσκόντων appel-
 labant: quorum ea lex ut si uni quid accidisset,
 alter ultro mortis socium se adjungeret. Huc
 omnino referenda Laconum sacra cohors,
 quæ ἱερὸς λόχος (θ) Græcis, quamque ex amato-
 ribus inter se constituisse perhibent. Unde qui-
 dam, cum hostis insideret ut jugularet, se ver-
 ti prius rogavit, nec in terga sibi sed in pectus
 enssem insigere, ne amator meus, inquires, cum
 me*

[γ] lib. 4. Ode 14. [δ] lib. 4. [ε] de mo-
 rib. Gentil. [ζ] lib. 7; comm. bell. Gall.

me in terga confossum in speciem pudore affici-
atur. Aristoteles etiam sua tempestate in Jo-
 lai sepulchro amatores inter se fidem dare &
 accipere solitos fuisse dicit. Hanc sacram a-
 pud Græcos cohortem invictam fuisse perhi-
 bent donec Philippus in pugna Chæroniensi,
 omnes in uno loco confecisset: quorum eti-
 am fati graviter illachrymasse dicitur. (η)
 Hujus generis apud Persas fuisse Δορυφόρους &
 αἰχμοφόρους constat. Nec absimile est illud
 Tucyd. (ι) Ἀργείων οἱ χίλιοι λογάδες, οἷς
 ἡ πόλις ἐκ πολλῆς ἀσκησιν τῆς εἰς τὸν πόλεμον δη-
 μοσίᾳ παρέιχε. Adhuc: τριακσίς τε ἰσφῶν
 αὐτῶν λογάδας, καὶ τῶν ψιλῶν πινὰς ἐκλεκτὰς
 ὠπλισμένους. Apud Romanos quoque tales
 fuisse testis est Herodianus lib. 8. ubi hæc in-
 fert verba: ὄντι δὲ τὸν Ῥώμης Ἰππικέλης καὶ
 ὄντι δὲ τὴν Ἰταλίας λογάδας ἡθροίσεν. Ne au-
 tem quis λογάδας existimet pro milite vulga-
 ri in locis allatis, usurpari, admonet tam no-
 tio vocis, quæ a λέγω i.e. lego, colligo, quam
 alioqui discriminativi termini, ut λογάδες ἐκ-
 λεκτοὶ, Ἰππικέτοι. Plerumq̄, dicit Henric.
 Steph. in Thes. Ling. Græc. λογάδες absolute
 ponitur pro λογάδες νεανία, aut στρατιῶται.
 Valerius hunc Solduriorum morem tribuit
 Celtiberis, utpote e Gallia translatum: (κ)
 Tacitus Germanis: (λ) quo etiam Lecto-
 rem

[η] Plutarch. in Pelopid. [θ] Briffon. lib.
 4. p. 132. Justin. lib. 11. Freinsh. in Suppl. [ι]
 1. lib. 5. [κ] lib. 2. 1. [λ] lib. de morib. German.

rem remittere est æquius, quam hic prolixè verba ejus recensere. Quod ex Valerio testimonium attuli, confine est huic Nicolai Damasceni, quod de Celtarum temeritate, vel ut ex opinione illorū dicam fortitudine & constantia habet: (μ) *Celta populi Gallie comata, inter Garumnam & Sequanam fluvios, pro dedecore habent, si quis muro aut domui venienti se subducat. Inundatio cum ex mari exteriori accedit, armis induti ei obviam eunt, subsistuntq; donec mergantur, idq; ne fugientes videantur quovq; modo mortem formidare.* Hæc illius ex Henfij paraphrasi verba videntur adstruere eundem mortis contemptum quem Soldurii observarant circa Dominorum suorum discrimina: nec non supponere quandam affinitatem inter hos populos, quamvis temporum & locorum differentia aliquali remotam. Sed propius ad rem.

III. Unde autem tanta tamque pertinax Solduriorum fides erga Dominos dimanaverit, non inutiliter disquiritur. Magnam quidem ex mutua benevolentia obligationem oriri notum est, majorem vero si sponsio accesserit, cui tantam denique tribuunt vim eruditi, ut nulla alia re opus sit ad pactorum integritatem: ita M. Tullius (ν) *fundamentum justitiæ fidem appellat, quam & justitiæ sororem dixit Horatius, & Platonici sepe justitiam vocant ἀλήθειαν, quod fidelitatem trans-*
tulit

[μ] *De morib. Gent.* [ν] *lib. de Offic.*

tulit Apulejus teste H. Grotio. (ξ) Verisimile tamen est Soldurios religione juramenti principibus suis fidem fecisse: siquidem apud omnes populos & ab omni ævo circa promissa & pactiones maxima semper vis fuit jurisjurandi. Nam ut Atheniensis Poëta Tragicus: [ο]

*Mens excitari jurejurando solet,
Ut bina diligenter evitet mala,
Culpam amicum & Deos offendere.*

Nullum vinculum, inquit Cicero, (π) adstringendam fidem majores nostri jurejurando arctius esse voluerunt. Sic & Ægyptiis jurandū μεγιστη παρ' ἀνθρώποις πίστις. (ρ) Nec videtur convenire cum ingenio vulgi, quod ex se acre, suspicax, mobile, adversarium, potentiae invidum, (σ) nisi sacramento quod violare fuisset nefas, obstringeretur. Nobile est illud Halicarnassensis, citante H. Grotio: (τ) Τελειωταία ἡ πίστις ἀπαισίν ὄσιν ἀνθρώποις Ἕλλησι τε καὶ βαρβάροις, ὡς εἰς πῶποτε ἀκαιρέσει χρόνῳ ἢ ἡ ὄρκων καὶ σπονδῶν ἐγγυή-
ταις θεῶς παιδαρῆ τ' συμβάσεων. Juramentum quippe insignem in conscientiis excitat reverentiam adeoque ut spiritum, quo miseris mortalibus nihil est charius, profundere malint multi, quam juramentum frangere, verentes ne in gravius fortè periculum redundet

vio-

[ξ] lib. II. c. 11. de jure belli & pac. [ο] Sophocles. [π] lib. I. [ρ] Diodorus Sicul. [σ] Commentator in Corn. Nep. [τ] L. 2. de jure bell.

violatum. Eleganter Plutarchus: (υ) πᾶς ὄρχεσθαι εἰς κατάρξαν περὶ ἁπλῆς Ἰππορκίας, omne, ut Grotius vertit, *jusjurandum in diras definit, si quis pejeraverit.* Consequens ergo est Soldurios homagium principibus suis præstitisse, suo quidem judicio inviolabile. Nemo enim facile committit perjurjum qui Dei pœnam & hominum ignominiam metuit ut habet Aristoteles. (φ) Num autem illud homagium fuerit limitatum & personale, vel illimitatum & reale, (χ) non adeo sumus solliciti, etiamsi prius adserere foret in facili.

IV, Accedit etiam ad pacti hujus observationem quod religione voti se obligarunt Soldurii. Et inde est quod Athenæus (ψ) Eos appellat εὐχωλιμαίους, quod vicissim Henric. Steph. (ω) vertit devotos vel Soldurios. Εὐχολή enim, ut Budæus (α) Pro devotione accipitur. Hinc εὐχωλιμαῖοι, interprete eodem Budæo qui vota faciunt, qui votis faciendis constituti sunt; unde Herodotus 27. tales expressius vocat εὐχολὰς Ἰππιτελέοντες, Cui etiam confine est εὐχὴν ποιεῖσθαι, pro devovere se, ut Budæus ex Athenæo. Vota namque antiquis adeo fuisse familiaria certum est, sive illis ad res illicitas omnem contingentiam tollere conarentur, sive licitas & denique indifferentes. Ita prævio voto ad rem prorsus

[υ] *Quest. Rom.* [φ] *lib. Rhet. ad Alex.*
 2. 18: [χ] *vid. Cellar. Polit. c. 19.* [ψ] *lib. 8.*
 [ω] *in Thesaur. ling. Græc.* [α] *ex Athen. 85.*

sus illicitam obligavit se Jephtha dum filiam devovit. (β) Tali quoque voto fidem inter se confirmârant, ποιήσαντες τινες τῶν ἰσραήλων συστροφὴν καὶ ἀνετεμάπισαν ἑαυτὰς, λέγοντες μήτε φαγαῖν, μήτε πιεῖν ἕως ἢ ἀποκτείνωσι τὸ παῦλον. (γ) Quid autem de illo quatuor virorum voto sentiendum sit, qui in Actis [δ] leguntur εὐχὴν habuisse de rasura capitis, hujus loci non est expendere. Sufficit enim ivisse adsertum Soldurios tam interpositione jurisjurandi quam voti Patronis dedisse fidem non modo observantiæ vulgaris sed & fidelitatis inusitatae.

V. Jam autem videre non erit inconveniens quatenus a conditione servorum vulgari vel discedat vel conveniat Solduriorum gens. Primum quidem omnium fatendum est Soldurios longe eminuisse servis Hebræorum & Romanorum, vel quæ alia natio sub illi titulo servum usurpavit. Nam servus sive sit secundum Philosophum (ψ) φύσις talis sive νόμῳ non est sui ipsius, ἀλλὰ ὅλως ἄλλα. hinc Seneca (ω) dixit *Domino in servum nihil non licere. Apud omnes peræq; gentes,* ait Cajus, [α] *animadvertere possumus Domini in servos vitæ necisque potestatem fuisse.* Hanc tamen potestatem deprehendimus tem-
pera-

[β] Judic. 11: 30. [γ] Act. 23. [δ] Act. 21.
[ψ] 1. Polit. c. 4 & 6. pariter ac Thom. in comm.
[ω] l. Controv. 5. [α] L. 1. D. de his qui sunt sui jur.

peratam, cum apud Hebræos, [β] qui specialibus institutis ab aliorum populorū communitate segregabantur, tum Romanos, quibus æque cautum erat servum inhumane habere. In constitutionibus quæ Clementi Romano adscribi solent, legitur: [γ] *ὅσα Ἰππιπύξιδε δέλωσεν ἢ παιδίσηεν ἐν πικερίᾳ ψυχῆς.* Imo passim alibi occurrunt hujusmodi cautiones, quos hic exponere foret ab instituto abluere. Hæc tamen visum fuit adferre, quo clarius innotesceret ex comparatione, discrimen inter servos & Soldurios: videlicet Solduriorum conditionem tanto præstitisse servili, quanto est præstantius prærogativa libertatis esse munitum præ servitute. Nec enim dicere ausim Soldurios tales fuisse natos, nec jure aliquo, vel Gentium vel alio quopiam ad hoc officium adactos: quorum de servis utrumque tuto adferitur.

VI. Paulo tamen difficilius erit perspicere discrimen inter conditionē clientum Rom. præsertim, & Solduriorum, quandoquidem proximiori gradu se attingunt invicē. Utrisque enim libertas ad minimum ea quæ vocatur à Grotio [δ] *κῆ ἐρησιον*, potest esse integra, etiamsi illa quæ audit *καὶ ἐναντιότητι*, absit: nam hoc sensu nemo liber est, teste Grotio, [ε] Quo etiam illud

[β] Deut. XV. vide & Mosem de Kotzi de præceptis jubent. 147. 175. 178. [γ] lib. VII. c. 14. [δ] lib. 2, c. 22, de jur. bell. [ε] ibidem,

illud Albutii pertinet: [ζ] *Neminem natum liberum esse, neminem servum: hac postea singulis imposuisse fortunam. Nec probe quis dixerit patrocinium derogare quidpiam libertati, magis quam ipsam amicitiam: quia & clientis amor cum observantia erga Patronum vocatur ab Aristotile Φιλία καὶ Ἰσχυροχρῶ, seu amicitia secundum excellentiam. [η] Clientes, differit Grotius, in fide sunt patronorum; sic populi fœdere inferiores in fide populi, qui dignitate est superior. Sunt Ἰπὶ πατρῴταις, & Ἰσχυροτελεῖς, sub patrocinio, non sub ditione, ut Sylla loquitur; (θ) in parte non in ditione: ut Livius; (ι) & Cicero san-ctiorum illa Romanorum tempora describens patrocinium sociorum ait penes eos fuisse, non imperium. (κ) Qui cum satis convenit dictum illud Scipionis Africani Majoris apud Livium, (λ) populum Rom. beneficio quam metu obligare homines malle, exterarū gentes fide ac societate junctas habere quam tristi subiectas servitio: & quæ Strabo commemorat de Lacedæmoniis post Romanorum in Græciam adventum: ἔμειναν ἐλευθεροί, πᾶσι δὲ τῶν Φιλικῶν καὶ ἑργικῶν ἄλλο σιωπελῆντες & δένε- manserunt, inquit nihil conferētes præter ope- ras sociales. Sicut patrocinium privatū, pergat adhuc, non tollit libertatem personalem, ita*

B

PA-

[ζ] Senec. III. Controv. 21. [η] 8. Ethic. c. 8. (θ) apud Appian. (ι) lib. 31. (κ) lib. 2. de Offic. (λ) lib. 26.

patrocinium publicum non tollit libertatem civilem, quæ sine summo imperio intelligi nequit. Ideo apud Livium opponuntur in fide esse & in ditione. Tantum ille. Remanet ergo quod differant obligatione, quæ veteribus Solduriis multo erat strictior quam clientibus populi Romani. Nec enim reperire licet clientum fidem semper morte obfirmatam. Soldurii vero præcise in fœdus ininitum intenti, neglectis, si quæ adesse potuissent, causis quam maxime fonticis, ultro Dominorum fortunam subierunt, eamque consimili calamitate vulnerum, ægritudinis mortis, & quicquid tandem hoc nomine venire potest, ceu mitigare festinarunt. [μ] Hac de re videatur Philippus de Comines.

CAP. III.

§. I

DE conditione Solduriorum plura licet afferri possent, me tamen propositæ brevitatis fides admonet ut iudicio de illis ferendo residuum spatii designem.

Primum autem omnium hoc sentio, quod eatenus culpandi non sint Soldurii, quia Principes & Patronos elegerunt sibi, quippe per quos Deus populos regit & nationes. Ita canit Boëtius: (v)

O Stelli ferri conditor orbis,

(μ) *Cæs. comm. bell. Gall. lib. 3. & 7.* (v)
Metr. 5. lib. 1.

*Qui perpetuo nexu' solio
 Rapido celum turbine verfas
 Legemque pari sydem cogis:
 Omnia certo sine gubernas.*

Hac etiam fit ut Deus prophanum Tyrio-
 rum Regem vocet *Cherub* seu *Angelum*, (ξ)
 idque per Ironiam vel ex opinione Regis :
 nam impius & internecioni proximus erat.
 Quidam in hæc verba Commentator (ο) has
 etiam adfert collationis Principium cum *Che-*
rubim rationes, vel allusiones potius: *per*
metathesin כרוב *Cherub* dicitur quasi *Ro-*
cheb equitans, id est *Princeps*, *moderator*, *gu-*
bernator. Hi enim olim equis vehebantur.
 Et sicut eques equum habens, sic ipsi populum
 legibus gubernabant. Ita & habetur *Esth.* 6.
 equus super quo *rachab*, equitat *Rex*, ut ob-
 servavit quoque *Schindlerus Oederanus* in
Lexic. Pentaglott. Rursum *Cherub* dici-
 tur *Rachab*, *currus*: *Princeps* enim est quasi
currus *Reip.* qui ejus onera portat. Sic *Elias*
 dicitur *currus* *Israel* & *auriga* ejus. (π) Hæc
 ille adnotante *Salomone Glassio.* (ρ) Et quem-
 admodum juri tam divino quam gentium
 consentaneum esse existimo, potentiori se in
 tutelam concredere & ejus auxilio subleva-
 tum iri, ita quoque facile quivis admiserit,
 quod *Principes* & *Patroni* cum *Solduriorum*

B 2

tum

(ξ) *Ezech. XXVIII.* (ο) *Cornel. a Lapid.*
Comment. in Ezech. (π) *2. Reg. 7. v. 12.* (ρ)
In tractatu de Cherubim in Parad. & sancluar.

tum alicujusvis in vicem capiendi beneficii clientum opera sibi ad tuendam vitam & quicquid per hanc possidetur, salva conscientia uti potuerint. Huc facit quod Apostolus intellectis Judæorum in se insidiis, Tribuno eas indicari voluit, quo militum præsidio tutus esse potuisset. (σ) Utitur hujus loci auctoritate Concilium Africanum: *Quorum contra furorem possumus non insolita nec a Scripturis aliena impetrare præsidia, quando Apostolus Paulus sicut in Apostolorum Actibus fidelibus notum est, factiosorum conspirationem militari etiam submovit auxilio.* Utitur & sæpe Augustinus in Epistolis dicti loci auctoritate, ut: (τ) *Paulus egit ut sibi tutio etiam armatorum daretur.* Et quamvis dictum quod ex Actibus Apostolorum allegavi non simpliciter ad hoc propositum accommodari queat, ponit tamen ad minimum illam, quæ hic repetitur actionis defensoriæ similitudinem.

II. Quod autem Principes & Patroni Solduriorum tanta benevolentia ferebantur in clientes, videntur bene fecisse: quandoquidem omnes sani nominis Philosophi, quorum nonnullos in præfatione allegavi, cæteros autem spatii lucriandi causa hic prætereo, benevolentiam in unoquoque cive requirunt. Maxime autem potentiores decet beneficentia, qui ex facili tenuioribus opitulari possunt. Nota quoque sunt illa apud Stobæum ex e-

men-

(σ) Act. XXIII. (τ) Epist. ad Publicolam 164.

mendatione & translatione Grotii? [v]

Possit ne humana stare res locupletibus.

Si plebs remotis pauper habitaret solum?

Sejuncta nolunt à malis poni bona,

Quæ temperata publicam rem promovent,

Quod desit inopi supplet hoc dives manus;

Quod non habemus divites, hoc pauperum

Labor ministrans nos honoratos facit.

Exemplo possunt esse C. Cæsar vir munificentie effusissimus, [φ] Alexander multa in probos liberalitatis, [χ] Et Cimón ille Atheniensis. [ψ] Laudatur & Ephialtes qui permisit ex agris suis fructus decerpere, qui vellent, unde multos aluit. [ω]

Quin & lex Evangelii beneficentiam in quosvis homines data occasione non liberam modo reliquit & laudabilem, sed & sub præcepto posuit. Nam Dei Exemplo, qui τὸν ἡλίον αὐτῶ ἀναπέμκει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους, (α) Jubemur nullū hominum genus à beneficiis nostris excludere. [β] Bene igitur in Constitutionibus Clementis: [γ] πᾶσιν ἔν δικαίον, δίδόναι, ἐξ οἰκείων πονῶν. περὶ μηλοῖ δὲ οὐδ' ἀγίας. Nec tamen statuerim hanc beneficentiam prorsus inculpabilem, quippe quæ animo obligandi tam ad licitum quàm illicitum

B 3

fie-

(v) Euripid. Acolo. (φ) Vell. 2. 41. 1. (χ) Freinsh. Suppl. 3. (ψ) Cornel. Nep. (ω) Heraclid. de polit. Atheniens. (α) Matth. 5. v. 45 (χ) Gal. 6. v. 10. (β) citante Grotio l. 2. d. jure bell.

fiebat, & omnes actiones bonæ aut secus sumunt ab intentione gravitatem. Quicquid demum sit, res tamen minoris videtur præsumptionis dicere hæc in Soldurios beneficia longe præstitisse inhumanitati illorum de quibus Philo Judæus: [γ] εἰσὶ δ' οἱ πῶν Φύσιν ἀμικῆλοι, καὶ ἀκοινῶνῆσοι δι' ὑπερβολὴν μισσηνδρωπίας γεγονότες, ἢ καὶ ὑπὸ ὀργῆς οἷα χαλεπῆς δεσποίνης ἐκβιασθέντες, ὄρκω τὴν ἀγχιότητ᾽ αὐτῶν πᾶσιν τῶν ἡθῶν, οἵτινες ἐφασὶν ὁμοτράπελον ἢ ὁμότροπον ἔξῃ τὸν δέονα, ἢ πάλιν τῷ δεινῷ μὴ ῥέξεν ὠφελείαν πᾶσι ἢ πρὸς ἐκείνους πᾶσι ἀπὸ τοῦ καὶ μέχρι τελευτῆς. Sunt quidam, vertit Grotius, adeo duro atq; insociabili ingenio, sive odio humani generis, sive dura domina inacundia subacti, ut morum feritatem jurejurando obsirment, ut ne hunc habeant mensæ aut telli socium, ne illi bene unquam faciant, ne quid ab eo ad mortem usque accipiant. Quod ait jurasse quosdam ne huic vel illi unquam beneficerent, id ab Hebræis ex translatione idiomatis in græcum vocabatur εὐχὴ ὠφελείας; qua de re possunt adiri scripta Rabbinicæ & alia Reipub. Judæicæ monumenta. [δ] Inde etiam est apud Philostratum [ε] οἱ ἴσθδαῖοι βίον ἀμικῆλον ἐωρόντες, οἷς μήτε κοινὴ πρὸς ἀνδρώπας τράπελον.

(γ) de specialibus legib. (δ) vid. Baba Kama cap. 9. §. 10. Et ibi notata a doctiss. Constantino. Item Grotium l. 2. c. 13. de jure b. (ε) Tyanensis de Judæia.

πεζα. Sic passim aq̄ud Josephum: [Ζ] τὸ ἀμικλον, τὸ ἀσύμφυλον, ἢ Διαίτης ἀμιξία, *in sociabilis vivendi ratio*. Sed è diverticulo ad Soldurios.

III. Nunc majoris erit negotii æqvam de ipsis Solduriis ferre sententiam, quippe qui ut sponte subditi suæ se conditioni ultro subjecerunt. Hic autem ne in Consultos juris incidam, eorumq̄ue messem temere correptam eam, videndum est. Afferui superius cap. II. §. III. Cum primis esse probabile Soldurios interpositione juramenti cum Patronis iniisse fœdus, quemadmodum etiamnum circa pacta, præcipuè tanti ponderis, usu venire solet. Initum vero fœdus rumpere vetitum est; *nam fides, ut Cicero, (η) non solum ad justitiam attinet, verum est ipsissimum justitiæ fundamentum, cui omnia hominum pacta conventaque nituntur. Iterumq̄ue: (θ) Stoici, qui studiosè exquirunt, unde verba sint dicta, ajunt, quia fiat quod dictum est, appellatam fidem. Quod & secutus est Augustinus, sic loquens: (ι) fides duabus suis syllabis significat ut quod fiat dicitur. Imo nihil æqvitati magis consentaneum est, quam ut homines veraces sint in præstandis promissis: hoc enim est opus justitiæ quæ societatem humanam unice sustentat. (κ) Hinc monitum Salomonis (λ*

B 4

Fil

(Ζ) in antiquit Judaic. (η) lib. de Officiis (θ) eod. lib. I. (ι) Epist. 19. ad Hieron. (κ) H. Grot. de princip. jur. nat. c. 15. (λ) Prov. 5,

Fili mi, si quid spondisti alteri, defixisti externo volas tuas, illaqueatus es verbis oris tui: captus es enunciationibus oris tui. Quem sensum non male expressit Ovidius. (μ) ubi promissor ei cui promiserat ait:

Vox mea facta tua est.

Ecōtra vero, grave est fidem fallere, quod & agnovit Tullius, his verbis: (ν) *Fidem frangere, perfidiosum & nefarium est. Non enim justo conforme est (verba sunt Cellarii:)* (ξ) *Concilii Constantiensis decretum statuens nullam esse fidem, quæ infideli data sit, nec audiendi qui fidem infideli datam servandam non esse clamitant. Nescio, inquit Bodinus, (ο) quomodo patribus Concilii Constantiensis in mentem venit, hæreticis omnem fidem abnegare, cum Pontifex ipse maximus quoties sacris initiatur, accipiat ab ipsis Judæis fidem, eosq; religionis suæ institutis summa cum libertate frui patiatur. Satis & infelicem (vicissim Cellarius) eventum habuit bellum, quod rupto fœdere, horum patrum concilio, ab Hunniade duce fortissimè contra Regem Turcarum fuit susceptum. Tametsi enim Sigismundus Imperator innumerales Christianorum copias cœgerat, nihilominus ingenti clade prostratus est. Vid. Bodin. dict. l. Ex his omnibus apparet fidem datam non modo Soldurios, verum etiam alios quoscunque obligare. Hinc vetus*

He-

(μ) *Metamorph.* (ν) *Cic. pro Rosc.* (ξ) *polit. 13, c.* (ο) *§. de Rep. c. 6. p. 599.*

Hebræorum dictum, *justi hominis vox*
& non est nov. (π)

IV. Accedit etiam quod Soldurii & qui a
hanc sortem subierunt, svasu fortitudinis ad
eam fuerunt inducti, secundum illud ex e-
mendatione & versione Grotii apud Stobæ-
um: (ρ)

*Optare vitæ spatia longææ viro
Deforme, nullum cui levamentum est malis.
Nam quid dici rursus & rursus dies
Adjecta prodest, ampliâns semper mori?
Me judice ille nullius pretii est homo,
Cui spes inanis credulam mentem fovet.
Pulcrâ agere vitam, nobile, aut pulchre decet
Obire: habes quodcunque dicendum fuit.*

Econtra vero loco habetur dedecoris mortem
anxie effugere, unde & hic *σαρναμὸς*: (σ)

*Vir vis vocari, sed virum minimè decet
Trepidantis animi mollis ægrimonia.*

Hujus rei & exemplis præter unum, quod in-
ferius, & cætera virorum illustrium testimo-
niis consulto supersedeo, præsertim cum ex
allatis constet Soldurios tam propter fidei per-
petuam observationem quam fortitudinem &
constantiam, laudi propiores quam vituperio
censeri. Nec enim illos, qui pro salute pu-
blicæ vel etiam pro Rege, in quo illa potissi-
mum eminent, vitam, re sic exigente profun-
dunt, laude sua fraudandos quisquam æquus

B 5 æsti-

(π) Grot. de jur. b. & p. l. 2. c. 13. (ρ) So-
phocles Ajace. (σ) Euripid. Phryxo.

æstimator censet. Sic illud, quod celeberr. Schefferus de milite Regis gloriosissimi & invictissimi Herois M. Gustavi Adolphi recenset, [τ] magno habetur loco. Verba se habent: *Nemo fuit, qui non corpus, sanguinem, vitam ipsam, si sic postularet usus, pro ipso liberalissime exponeret. Docuit, si quid aliud, extremum prælium quo cecidit. Divulgata namq; per exercitum pugnantem ejus morte, nemo fuit, qui post Regem suum quæreret velletve vivere. Fennohes præcipue hoc nuncio in desperationem rabiemque acti, non studebant amplius ut vincerent, sed ut Regis, herois sive exemplo maximi cadem indignam memorabili ad posteros excidio adversariorum vindicarent, ac officio huic pietatis pleno ipsi etiam immorerentur.* Hæc ille.

V. Sin vero penitius consideraverimus Solduriorum conditionem, facile deprehendemus illos graviter in illa parte deerrasse, qua nulla etiam necessitate stimulante, ex affectu erga Dominos privato, morti, periculis, ægritudini, non modo se non subdulerunt, verum etiam ultro objecerunt, prout ex Commentariis notum est. (v) Imo conscivisse sibi mortem pro certo habemus, post Patronorum, qui per alienam necem revocari in vitam æque minus potuerunt, interitum: unde *ἀνεπιφύλακτος* crimen evadere nequeunt, ad
mini-

[τ] in memorab. Svecic. Gent. tit. de pietate erga Reg. c. 26. (v) Cas. l. 3, § 7.

minimum talis, quæ *Mortalis* & non *Obstantium* vocatur a *Dannhavero*. (Ⓞ) Nam homo vite sue Dominus non est, ut *Doctiss. Dominicus de Soto*: (ⓧ) quia vita, inquit, a summo Deo nobis data est. Hinc illud: (Ⓟ) Tu es Domine, qui vite & mortis habes potestatem: ergo non alius: Item, (ω) Ego occidam & vivere faciam: ergo non alius. Et *Cicero*: (α) Vetat dominans ille in nobis Deus injussu hinc nos suo demigrare, quum vero causam justam Deus ipse dederit, ne illa mediis fidiis vir sapiens latus ex his tenebris in lucem illam excesserit, nec tamen illa vincula carceris ruperit: leges enim vetant, sed tanquam a magistratu, aut ab aliqua potestate legitima sic a Deo evocatus atq; emissus exierit. Idem *Cicero*: (β) Tibi & piis omnibus est animus custodia corporis retinendus, nec injussu ejus a quo ille erit nobis datus, e hominum vita migrandum est, ne munus assignatum a Deo defugisse videamur. Idem *Cicero*: (γ) Non est injussu Imperatoris, id est, Dei, de presidio & statione vite decedendum. Et rursus: (δ) Nisi Deus istis te corporis custodis liberaverit, ad cælum aditus patere non potest. & *Silius*
Itali-

(Ⓞ) in *auētariis*. (ⓧ) lib. 4. *quest. 2. artic. 3: de just & jur.* (Ⓟ) *Sap. 16.* (ω) *Deut. 22.* (α) lib. 1. *Tuscul.* (β) in *Somnio Scipionis.* vide *Macrob. vid. & Plotinum & Olympiodorum.* (γ) in *Caton. maj.* (δ) in *Somn. Scip.*

Italicus sic cecinit: (ε)

Cedumq; feros avertite ritus.

Et Ovidius: (ζ) *Vacuas cedis habete manus.*

Nec his aliena Persarum videtur sententia, quorum Rex Darius: (η) *alieno scelere quam meo mori malo.* Ideo Hebræi mori vocabant

ἀπολύεσθαι, id est, *dimitti*, ut videre est non tantum Luc. 2: 29. Sed & in Græca versione

Gen. XV: 2. & Num XX. in fine; quod genus loquendi & Græcis usitatum. Unde quidam:

(θ) ἀπολύεσθαι ἢ ἀποθνήσκοντα καὶ πῶς τελευτῶ ἀπολύσιν καλεῖσιν: *eum qui moritur ajunt dimitti, & mortem dimissionem vocant.*

Apud Plutarchum in consolatione legimus hoc sensu: ἕως ἂν ὁ Θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ὑμᾶς. *donec Deus ipse nos dimittat.*

Nonnulli autem Hebræorum de lege se non interficiendi unam causam excipiunt, tanquam ἔυλογον ἐξαγωγῶν:

(ι) nempe si quis videat se deinceps victurum in probrum ipsius Dei.

Nam quia non nobis sed Deo in vitam nostram jus esse statuunt, existimant præsumptam Dei voluntatem solam esse quæ mortis

anticipandæ consilium absolvat. Atque huc referunt Samsonis exemplum, (κ) & Saulis qui gladio incubuit:

(λ) pariter ac Razis Hierosolymitani Senatoris in historia Maccabai-

ca,

[ε] lib. 4. [ζ] lib. 3. Art. [η] Curt. lib. 5.

[θ] Themistius de anima. [ι] teste Grotio l.

lib. 2, c. 19. [κ] in lib. Judic. [λ] 1. Sam. 31: 4.

ca. (μ) Verum qui Solduriorum præcipitata mors huc referri possit, perspicere nequeo. Quatenus autem Cliens Patroni salutem suæ præponere debet, non usque hujus est negotii: consulatur itaque inprimis Fernandus Vasquius, (ν) nec non alii hanc rem expendentes viri literatura graves.

§. VI Nec fides, quam superius dixi cuivis servandam, Soldurios excusat, quippe qui circa materiam promissi, quam oportet esse aut ad minimum posse esse in jure promittentis, ut promissum sit efficax, deliquerunt. Nam devovisse vitam circa pactiōem privatā, erat promissum facti per se illiciti, *ad cujusmodi nemo jus habet, nec habere potest*, ut probe observavit celeberr. Grotius. (ξ) Inde Agelilaus de promisso interpellatus respondit: *καὶ δῆτα, εἰδ' ὅτι δίκαιον, εἰ ἢ μὴ ἔλεξα μὲν ὠμολόγησα ἢ ἄ:* Bene, si justum est: sin minus, dixi tantum non & promisi. Hinc, etiam tritum illud, *male promissis rescinde fidem*, item: *In malis culpa non servanda fides, sed rescindenda.* (ο) Res licet exemplis declarari posset compluribus, hic tamen unico ex sacris desumpto contentus esse malim, quam hinc inde gratis colligere. Revocant in controversiam eruditi factum Magorum non revertentium ad Herodem, nec nunciantium de nativitate

Mes-

[μ] 2. Maccab. 19: 37. [ν] Controv. lib. 1. cap. 11. [ξ] lib. 2, c. 11, de jure bell. & p. [ο] Isidorus,

Messiaë, (π) quemadmodum tenebantur ju-
 re promissi: quod etsi αὐτολεξεί non sit expres-
 sum, per consequentiam tamen dispalescit;
 nec non obtendunt fidei sanctitatem, quam
 semper violare nefas erat. Deinde dicunt fun-
 damentum ad Infanticidium fuisse ἐμποιγμὸν
 seu illusionem, qua præpeditus Herodes in
 Magos exarsit. Quicquid tamen sit, Magos
 hac in parte minime deliquisse dixerim, præ-
 fertim cum speciale Dei monitum illos ab hoc
 officio averterit: & mandatum divinum sol-
 vit vinculum & omnem legem vel naturalem
 vel positivam. Illusio autem illa non erat
 revera & ὄντως talis, sed apparens, fundamen-
 tum duntaxat habens in imaginatione Hero-
 dis, non intentione Magorum & veritate rei,
 ut nervose differit Doct. Spanhemius. (ρ)
 In hunc plane modum fidem, si omnino data
 erat, Soldurii potuissent paulo consultius re-
 scindere quam temere & ingratis mortem si-
 bi consciscere. Huc & illa pertinent, quæ
 Amplissimus & de Ecclesia Dei, pariter ac re-
 literaria optime meritus, Doct. Enevald. Sve-
 nonius alicubi profert: (σ) *Tandem de obe-*
dientia Magistratibus debita, sic loquuntur
confessores: necessario debent Christiani obe-
dire Magistratibus suis & l. l. nisi cum jubent
peccare, tunc etiam magis debent obedire Deo
quam

[π] Matth. 2: v. 16. [ρ] in dub. Evangelic.

[σ] in Synopsi Theolog. Disp. XXVI, Thes. 20.

quam hominibus, Act. 5: 29. Hanc ob causam
et vindicta privata prohibita est, non consilio
quidem, ut Pontificii volunt, sed præcepto
Matth 5: 44. Rom. 12: 17.

VII, Ex superioribus constat quod Soldurii
voti quoque religione sese obstrinxerant, cu-
jus magnam antiquitus vim fuisse æque cer-
tum est: quo respexit Grotius dum *votum ad-
dita consecrationis pena validum censuisse
Hebraeorum magistros*, indicat. (τ) Inde et-
iam est, quod res magnas dicunt esse *ὁ χῆς
ἀξίας, & χῆς ὁμοίας*: quibus loquendi generi-
bus utitur Isocrates, ut observavit quidam.
(υ) Hac de causa Judæi, Paulo struentes infi-
dias, voto quasi sacramento quodam invio-
labili obsignarunt promissionem, scilicet quo
facinori necessitatem inducerent: etiamsi &
hoc fefellit eventus. Nec deesse rationem e-
xistimant, cur votis tantum tribuerint veteres:
quippe quæ in scriptura fundari videbantur.
(φ) Facile tamen deprehendet quilibet erudi-
tus, illud fundamentum devenisse, apud gen-
tiles ut plurimum, in abusum. *Nec enim ibi
consistunt exempla, unde ceperunt, sed quemli-
bet in tenuem recepta tramitem, latissime eva-
gandi sibi viam faciunt: & ubi semel recto de-
erratum est, in præceptis pervenitur: nec quis-
quam sibi putat turpe, quod alii fuit fructu-
osum.*

[τ] lib. 2. c. 13. [υ] Henric. Steph. in Thes.
ling. Græc. [φ] Num. 6.

sum. (χ) Ita siveit observari κακοζήλια
 σατανæ, ex Abrahami exemplo, (ψ) ἀνθρώπων
 ποθοσίαν hominibus inculcantis. Inprimis i-
 taque sentio Soldurios vitæ suæ prodigos, in re
 tam parum necessaria, non posse per prævium
 votum excusari: nullius enim voti legitimi
 objectum esse potest res illicita. Ex hac et-
 jam ratione Jephtham actu immolavisse filiam
 quam devovit, (ω) negat Sixtinus Amama,
 (α) pariter ac Hackspannius. (β) Etiam si non
 erit negandum hanc thesin a pluribus affir-
 matam: utpote ab antiquis Judæis, Chald. Pa-
 raph. Josepho: nec ~~ex~~ ex P. P. a Tertulliano,
 Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Nazian-
 zeno, Epiphanio, Chrysostomo, Theodoro,
 Sulpitio, Isidoro & aliis, quos & Luth-
 erus sequitur. Confer Gerhard. (γ) & Bald-
 vinum: (δ) quin & Serarium, Sanctium,
 Capelli spicilegium. Inprimis tamen consu-
 le, si forte licuerit, Disputationem B. Dann-
 haveri editam anno 1634. de facto Jephthæ,
 Mirari tamen licet Tirinum, qui ex scriptu-
 ra, (ε) hoc votum conatur in tantum de-
 fendere, ut non modo dicat Jephthæ filiam de-
 vovere licuisse, sed & devotam immolavisse.
 (ζ) At de hoc alii. VIII. ut

[χ] *Vell. lib. 2* [ψ] *Gen. 22.* [ω] *Jud. II,*
30. [α] *in Antibarb. Biblic.* [β] *annotat.*
b. l. p. 629. [γ] *T. 7. p. 806.* [δ] *in cas.*
conscient. p. 289. [ε] *Heb. II.* [ζ] *in dict.*
l. p. 397.

et totum illud quod de Solduriis
legendium sistatur, stylus o-
rahendus,

si quos habuerint Soldurii, quodque
delictatis, nisi quid amplius, præ-
ter Principibus, videtur plane cum forma
p. bene constitutæ convenire; nec ullius in
a parte delicti possunt accusari. Quod autem
perversa opinionis errore pro vera fortitudine
usurparunt id, quod Aristoteles inter ejus simu-
lachra recenset, nempe ignominia & reprehensi-
onis metu, aut spe honoris inutiliter occumbere,
vitio non caret. In omni vero hoc negotio for-
titudinem, circa mortem & pericula bellica ju-
stide causis subeunda, sartam rectam volo: quip-
pe in quibus viri civilis fortitudo maxime elu-
ce; quapropter etiam Aristoteles hujus expli-
cationi maxime insistit, & hanc fortitudinis spe-
ciem præcipue commendat. Sed fusius de his
agere, cum nec tempus ferat nec instituti ratio,
idcirco quæ pro captu ingenii jam allata sunt,
Lectori obnixè commendantur.

Tantum erat.

Ad eximium

ANDREAM W

Amicum honorat

Divitiis nemo est felix

Rerum, continuo parta la
Perduntur senio Vires, & glo

Disfluit, ac morbus squali

quatit

Vix benè momento valet illecebr

ptas,

Atque honor instabilem gestit i

gradum;

Incluta sed virtus homini perfectius ad

Perstat, & auferri mente repōsta neq̄

Nobilitat eadem, durat post fata superstitis,

Post cineres etenim, vivere sola facit.

Gratulor! illa tibi est, WANOCH, facundia,

candor

Et *Stylus*, invicto quo velut ense vales.

G

L. M. 93

ENEVALD. SVEN. 2. G. A.

S. S. Th. D.

Dr. ANDREAM WANOCHIUM,
Amicum honoratissimum:

Divitiis nemo est felix, nam copia tandem

Rerum, continuo parva labore perit:
Perduntur senio Vires, & gloria formæ
Disfluit, ac morbus squalida membra
quærit:

Vix benè momento valet illecebrosa voluptas,

Atque honor instabilem gestit habere gradum;

Incluta sed virtus homini perfectius adstat,
Perstat, & auferri mente repõsta nequit,

Nobilitat eadem, durat post fata superstes,
Post cineres etenim, vivere sola facit.

Gratulor! illa tibi est, WANOCH, facundia,
candor

Et *Stylus*, invicto quo velut ense vales.

L. M. 43

ENEVALD. SVEN. Q. G. A.
S. S. Tb. D.

*Multa morum elegantia & præclaris studiis
Politissimo Viro Juveni,*

DN. ANDREÆ WANOCHIO,
Pro honoribus gradus Philosophici, erudi-
tè, de Gallorum Selduriis differenti, amico &
Patriotæ per dilecto, egregios profe-
ctus gratulari volui:

Viderat errantes circum Parnassia Phæbus
Culmina per doctos juvenes, quibus ardua
honoris

Templa patent & temporibus jungenda decoris
Laurea ferta; meus, sit ubi modò charus alumnus
WANOCHIUS, dixit? teneris qui ductus ab annis
Ad sacra Thespiadum, cui dextra benigna Prome-
thei

Finxerat ingenium vegetum, mentisque modesta
Munera magna, bonas artes qui Pallados inde
A primis annis didicit, virtutis amore

Ductus ad Abodicas Musas, quas fervidus annos
Per multos coluit, Sophia, Svadaq; decoris

Incumbens studiis: tandem concessit amœnam
Upsaliam, sacris Pimplæis doctæ frequentans

Atria Castalidum; celsamque vocatus in aulam
Illustris juvenis Musas moderatus, Aboam

Devenit veteris charam sibi jure palastram
Hospitii. Huic meritis dignos decernite honores

Phæbus ait: lætis vox est in vertice Pindi
Plausibus excepta & pulchram contexere laurum
Festinant Charites & Chloris floribus arva

Spar-

*Spargere & interea modulari carmina docta
Turba novena deum. Juvat accessisse: frequentem
WANOCHIUM audivi celebrari & commoda mille
Optari, ut patria possit prodesse juventa
Divitis ingenii donis, gelidoque sub axe
Arctoo sacris Musarum operarier. Hæc sunt
Qua cecinere dea; brevibus mihi dicere sat sit
Ordine qua longo resonant arbusta: valebis.*

Variis districtus occupationibus,
L. tamen M:que

MARTINUS MILTOPÆUS.